DEO TER OPTIMO-MAXIMO BENEDICENTE!

EX DECRETO ET AUTORITATE

Magnifici atque Nobilissimi JCtorum Ordinis, in Illustrissimâ ac Celeberrimâ ACADEMIA JENENSI,

PRÆSIDE


VIRO Prænobilissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

DN. JOH. VOLK. Bechmann/

JCto & Antecessore Celebratissimo, Consiliario Saxonico, in Supremo Ducum Saxon. Judicio, Facultate Juridicâ, & Scabinatu Assessore Gravissimo,

Domino Patrono & Promotore suo ætatem devenerando.

DISPUTATIONEM INAUGURALEM De DISPENSATIONIBUS,



PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA

ritè capessendi,

Publico Doctorum Examini sistit


TOBIAS Bormann/ Witteberg.

In Auditorio JCtorum,

Die Septembr

Horis ante- & pomeridianis.

JENÆ, Literis NISIANIS. MDCLXV.




DEO TER OPTIMO-MAXIMO BENEDICENTE!

DISPUTATIONIS INAUGURALIS

De

DISPENSATIONIBUS,

Præloquium.



Irtutum, quæ Principem maximè illustrant, præstantissima est Clementia: Hæc, uti adamas in auro, vel Sol in Cœlo: sic in Principe radiat; Hæc prima Ipsius dos est; Hæc pretiosissimum Regiæ Majestatis ac Principalis Serenitatis monile dicitur à *Chassan. de Glor. Mund. Reinking. de R.S.& E.. Lib.2. cl.1.c.3.* Per hanc sola DEI servatur imitatio. *l. ult.C. de Don. int. vir. & ux.* Nec enim per aliud Princeps Deo propiùs accedere potest, ac si hominibus, dando si eguerint; Indulgengendo si supplicaverint; Parcendo si deliquerint, salutem conferat; Hæc tantoperè decet Principes, Titulum ut inde adepti Clementissimi appellentur. *Id. Reinking. ex Ernesto Cothmanno ad Rubr.C.Justin. verb.Clementia nostra.* Hujus exercendæ αἴτιον desumitur I. ab ejus bonitate & clementiâ, cujus in his terris gerunt vices, DEI videl. Ter. Opt. Max. qui suâ essentiâ misericors ac clemens est. *Ps.CIII.8. Syr. II.23.* Et in signum Clementiæ Reges unguntur, ut sint aliis clementiores ac dulciores, notatur *in cap. un.X. de Sac. Unct.* II. à Clemen-


mentiæ Objecto, quod non sunt feræ vel bestiæ, sed homines, quibuscum Princeps humaniter agat, cùm & ipse homo sit, humanæque conditioni obstrictus. III. ab egregio ejusdem Effectû, quòd scil. Clementiam exercendo Princeps sibi conciliet Subditorum benevolentiam, quæ sanè præsidium Principis firmissimum. *Bodin. de Rep. Lib. V. c. 5.* Et munitissimas habere dicitur civitates Princeps, quem Subditi fide & amore prosequuntur. *Cravet. Cons. CCI. Myns. Cent. 1. Obs. 8.* Clementiæ verò proprium est, pro Personarum, Rerum, Temporum ac Locorum circumstantiis, stricti rationem Juris mitigare, & ad misericordiam potiùs, quàm ad severitatem deflectere. R. A. zu Speyer 1526. §. Es sol auch eine jede Obrigkeit &c. nach Gelegenheit eines jeden Verhandlung sich dermassen erzeigen/damit die Unterthanen/ so viel sich immer leyden wil/ mehr Gnade und Gütigkeit/denn Schärffe und Ungnade spüren und finden mögen. Melius enim est, DEO misericordiæ rationẽ reddere, quàm Inclementiæ. *c. alligant. XXVI. Q. 7.* Potest autẽ Princeps ex suâ autoritate non solùm pœnas in lege positas temperare, sed & planè remittere. *l. Moris est. 9. §. 11. ff. de Pœn.* Quæ Autoritas Juris Dispensatio vocari cõsuevit: Cujus Naturam contemplari, & pro DISPUTATIONE INAUGURALI, ex Magnifici JCtorum Ordinis Decreto, proponere, in Nomine Gloriosissimi Justitiæ Doctoris, suscipio. Sicubi forsan minùs accuratè rem tetigero, animæquus Lector ignoscet, memor illius Justinianei: *Omnium habere memoriam, & in nullo penitus peccare, Divinitatis magis est, quàm mortalitatis. §. si quid. 14. de Confirm. ff. ad Magn. Sen. & l. Tanta. 2. § si quid. 14. C. de V. J. E.*

CAPUT

Caput I.

Dispensationis Notationem, Æquivocationem & Cognominationem exhibens.

§. I.



Ntequam perveniamus ad Nigrum, priùs ut Rubrum, sicut Doctores loqui amant, exponatur; Modus in Jure scribendi usitatissimus est. *l. 1. pr. ff. de J. & J. l. 1. ff. de Pact. l. 1 pr. ff. de A. vel. A. P. l. Labeo. 7. ff. de Supell. leg. l. Tugurii. 180. de V. S. c. Privilegia. 3. Dist. 3.* & passim. Turpe enim habetur, priùs determinare, quàm terminos intelligas; Et unaquæque Res, quemadmodum intelligenda sit, ex Nomine apparet. *l. Divus 6. ff. de Bon. damn.* Idcircò modum istum hic quoque observabo, ut, pro meliori tradendorum intellectu, Dissertationem hanc à verbi Notatione incipiam.

§. II. Quantum igitur ad Dispensationis *ἔτυμον* attinet, dicitur à Dispensando: veluti Vindicatio à vindicando; Locatio à Locando. Dispensare autem à Verbo Dispendo, id est, Distribuo derivatur. Quia Dispensatio est quasi commensuratio ac Distributio Juris, quod aliàs non competebat. Cujus rei sit Exemplum in *c. De mulctâ 28. X. de Præbend.* Ubi Jure Humano Nobiles & Literati duo Beneficia curam animarum habētia obtinere prohibentur; At Pontifex Romanus Nobilem aut Literatum ab illâ prohibitione eximere, eique duo Beneficia dispensare potest.


§. III. De Homonymiâ verò hujus Vocabuli sciendum, quòd *Brederodius* illud interpretatur Alimenta *in Auth. Novissimè. C. de Admin. Tut.* 2. significat Juris declarationem *c. Quintavallis. 23. de jurejur.* 3. Idem est ac Juris mitigatio. *c. Dispensationes 1. Q. 7.*

§. IV. Quâ significatione alia quoque habet Cognomina, uti sunt: Beneficium. *l. 3. ff. de Const. Princ. l. 2. pr. C. de his qui ven. æt. imp.* Humanitas *arg. l. furti. 6. §. 3. ff. de his qui not. inf. l. Nemo. 3. C. de Episcop. Aud. Nov. CVII. c. 2.* Auxilium *d. l. 2.* Venia. *tot. tit. C. de his qui ven. æt. imp.* Indultum *L. Rescripta 7. C. de prec. Imp. offer. l. 1. C. Si Nupt. ex Rescr. pet.* Indulgentia. *d. l. 1. l. 4. 7. 10. & 12. C. de Sent. pass. Nov. CXXXIX. c. 1. l. 1. ff. de Testam. mil. c. Didici. 1. Q. 7.* Clementia. *l. 1. 2. & 3. C. de his qui ven. æt. impet. l. Imperialis 23. C. de Nupt. Nov. LIII. c. 6. c. Exigunt. 1. Q. 7.* Licentia *d. l. 1. C. si Nupt. ex Rescr. pet.* Benevolentia & Moderatio *d. l. Imperialis. 23. C. de Nupt.* Gratia *l. 1. §. fin ff. de Quæst. l. fin. pr. ff. ad Municip.* & Concessio *c. cum sicut. 1. de Grat. & Dispensat. in VII.* Lenitas *l. quisquis 5. §. 1. C. ad L. Jul. Maj.* Et denique Relaxatio *Nov. CXLI. in fin. c. Necessaria 1. Q. 7.* Nostrâ vernaculâ linguâ effertur Gnädige Verstattung/Erlassung/Begnadigung.

CAP. II.

Dispensationis DEFINITIONEM & DIVISIONEM prodens.

§. I.



ILlis de Nomine prælibatis; Quid Res sit, nunc dispiciamus. Re enim non cognitâ, quicquid ejus

ejus causâ suscipitur, frustraneum est, utpote substantiâ ejus Essentiâque ignotâ. *Cic. de offic. lib. 1.* Ea verò optimè ex Definitione hauritur. *Aristot. VI. Top. 4.*

§. II. Talem itaque damus Definitionem Dispensatio est Juris positivi relaxatio, à Principe vel superiore Magistratu, ex justâ & sufficiente causâ, concedenda. *c. Requiritis 1. Q. 7. c. Literas. 13. X. de Restit. Spol.*

§. III. Singula hujus Definitionis verba lustrabimus aliquantulum, ex quibus Essentia Dispensationis clarius cognoscetur: Est Juris positivi, quia Jus Divinum non recipit Dispensationem Humanam; cùm Par in parem non habeat Jmperium. *l. Ille 13. §. 4. ff. ad SCTum Trebell. c. Innotuit. 20. X. de Elect.* tantum abest, ut inferior in superiorem. *arg. §. ult Inst. de legit. agn. tut.*

§. IV. Relaxatio, quæ legis ligationem seu obligationem, quam tollit, *H. Grot. de J. B. & P. c. XX. §. 27.* præsupponit; non verò obscuritatem, quæ declarationem saltem deposcit. *c. Quintavallis 23. X. de jurejur.*

§. V. A Principe vel superiore Magistratu concedenda. Quia Magistratûs mediatè Imperio parentes Jus Dispensandi propriâ autoritate usurpare non valent. Refertur enim ad Regalia, quibus Magistratûs minores destituuntur.

§. VI. Ex justâ & sufficienti causâ. Ne scil. Dispensatio fiat Dislipatio, proclivis ad Dispensandum non sit Magistratus; sed habitâ priùs circumspectâ deliberatione eam concedat. *c. ult X. de Transact.*

§. VII. Datâ Definitione, proximum est, de Divisione

sione disserere, id quod paucis expediam: Guilielmus Durantes, aliàs Speculator vel Pater Practicæ dictus, *Rubricâ de Dispensatione* §. *Genera autem*; quatuor ponit Dispensationis Species: Unam Debitam, ratione Necessitatis & Utilitatis. *c. Requiritis I. Q. 7.* §. *Nisi rigor c. Ut constitueretur. Dist. 50.* Alteram Prohibitam, quæ non potest fieri sine decoloratione Juris *c. Etsi I. Q. 7.* Tertiam Concessam, quæ toto Jure concedatur. Et Quartam Permissam, Quando accusato, Parte adversâ contranitente, nihilominus Dispensatio permittatur. *c. Si quis Presbyter. Dist. 50.*

§. VIII. Idem quoque herciscit, ratione Subjecti, in Voluntariam, quam solam Seculari; & Necessariam vel Rationabilem, quam Ecclesiastico, competere, ait.

§. IX. Hostiensis in *Summa. Rubr. de Haeret.* §. *Quando & Qualiter*; Quadrimembrem ejus in Hæreticis promovendis observandam facit Partitionem: Semiplenam scil. quâ in Ordinibus jam susceptis permanendum, omni spe ulterioris promotionis sublatâ; Plenam, quâ possunt Sacerdotes fieri & non ultra. *c. Convenientibus. I. Q. 7.* Pleniorem, quâ ad Episcopatum non verò ad Primatum promoveri possunt *c. Nos Consuetudinem Dist. 12.* & Plenissimam, Quâ ad omnes Ordines & Dignitates provehi queunt. *c. Ipsa pietas XXIII. Q. 4.*

§. X. Sed relictis illis Divisionibus, Dispensationem divido I. in Licitam & Illicitam. Illam voco, quæ non contrariatur Juri Divino, vel Naturali & Gentium; Hanc verò, quæ contra talia conceditur. *arg. §. pen. Inst. de J. N. G. & C. l. Si Senatori 31. ff. de R. N. l. ult.*

C. de

C. de Incest. & inut. Nupt. tot. tit. C. Si Nupt. ex Rescr. pet. c. Non licet. Dist. 10. c. Innotuit. 20. X. de Elect.

§. XI. II. In Ecclesiasticam, quæ in Causis Spiritualibus; & Secularem, quæ in Civilibus & Criminalibus obtinet.

§. XII. Ecclesiastica autem subdividitur in tres Species, quarum una dicitur Dispensatio per flagella, quòd per illa pœnitentia erat peragenda, & fuit Inventum Monachorum. Huc referuntur etiam Species per Scopas & Psalmodias. Ita, ut si cui annalis pœnitentia erat imposita, illam per Dispensationem redimere potuerit Scopis millenis, id est, totidem virgarum verberibus; ab his verò iterum se liberare poterat decem Psalmorum modulatione.

§. XIII. Deinceps erat Species de Injunctis vocata, per quam imposita Satisfactio remittebatur. Cujus Exemplum legere est in *c. Si qua fœmina. Dist. 50.* Hujus autem remissionis rationes dantur. 1. Valetudo adversa, ob quam Ligato ab Ecclesiâ concedebatur Reconciliatio per Dispensationem, ne irreconciliatus diem obiret. 2. Persecutiones frequentes. Ne isti, qui stant inter pœnitentes, ad mortem rapiantur, ideò ante elapsum tempus pœnitentiæ statutum restituuntur Communioni 3. Pœnitentiariorum imprudentia, qui Canonum imperiti indiscretam injungunt pœnitentiam, quare per Dispensationem succurritur pœnitenti. 4. Contritionis fervor; Si enim perspicua charitatis documenta pœnitens edat, ante præstitas Satisfactiones Canonicas restituitur. Hæcque Dispensatio nominata est Indulgentia per pœnitentialem relaxationem.

§. XIV. Denique erat Species Quæstuaria dicta, quia Pontifex, interveniente unius & alterius denarii quæstu, dispensavit. Unde Patrimonio Petri sive Pontifici aliquot auri tonnæ accreverant.

CAPUT III.

SUBIECTUM sive Quis Dispensare possit, ostendens.

§. I.

POst Divisionem devenio ad Dispensationis Subjectum, Personas scil. Dispensandi potestate pollentes. Quas ipsas indigitat Definitio. *cap. præc.* quando Principis & Magistratûs Superioris in eâdem fit mentio.

§. II. Ideoq; statuo, Dispensandi Jus illis competere, qui immediatè parent Imperio, adeoque Regalia recognoscunt.

§. III. Imperator enim circa Leges & pœnas Summam Dispensandi habet potestatem; Et quamvis olim tantùm Ipsius fuerit *l. Moris est 9. §. Ista. n. l. Divi fratres 27. pr. ff. de Pæn. l. 2. ff. de sent. pass. l. Nemo 3. C de Episcop. Aud.* Hodiè tamen Imperii Statûs, vigore superioritatis territorialis & Regalium, Krafft habender Landes-Fürstl. Obrigkeit/hoc quoque Jus Dispensandi usurpant.

§. IV. Inde sequitur, Magistratûs minores, & qui mediatè parent Imperio, Dispensandi Jus exercere minimè posse, quia hoc est de Regalibus, quæ cum Ictionalibus h. e. potestate quam habent, judicandi de factis licitis & illicitis, non sunt temerè confundenda. Quæ distinctio radicatur in *l. 1. §. 4. ff. ad SCtum Turpill. l. Divus Hadrianus 15. ff. de Pæn. l. ordine. 15. pr. ff. ad Municip. l. Servos. 8. §. fin. C. ad L. Jul. de V. P. & P.*

§. V. Et justo enim competit Judici, ut per viam Justitiæ Circumstantiis facti sive meritis Causæ probè consideratis, deli-

delicti pœnam quidem mitiget *l. perspiciendum 11. ff. de Pœn. l. hodie 13. ff. eod. L. Pomponius. 15. ff. de Neg. gest.* Non verò, ut per viam Clementiæ solùm procedat vel Dispenset. *d. l. 1. §. 4. ff. ad SCtum Turpill. & l. Div. Hadr. 15. ff. de Pœn.*

§. VI. Hi enim Magistratûs minores Juris Positivi sunt ministri, unde nec latum unguem ipsis ab eodem discedere est integrum. *l. ult. C. Si contr. Jus vel Util. L. Nemo 13. C. de Sent. & Interl.*

§. VII. Quare etiam in Nemesi Carolinâ providissimè sancitum est, ut Judices pronunciata sequantur Prudentû, prævioq; eorum Consilio pœnas exequantur *P. H. O. art. 106. & 109.*

§. VIII. Et hæc obtinent non modò in Regimine Seculari, verùm etiam Ecclesiastico. Quod tamen sibi soli Pontifex Romanus cum suis Fratribus, & quos Regalibus donat, appropriat. Quia scil. totius Ecclesiæ Patronum se venditat. Sed quo Jure id faciat, orbi notum est, & plura essent scribenda; Quod nostri nunc non est instituti.

§. IX. Papa igitur, dum ne ulli subesse, neque ab ullo judicari vult *c. Si Papa. Dist. 40.* hanc Dispensandi potestatem sibi sumit. Et deinceps eandem concedit Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis &c. Quibus de prolixè in puncto Dispensationis, quot modis illa ipsis competat, agit Durantes sive Speculator in Rubr. de Dispensat. *§. Nunc de Episcoporum. §. Consequenter §. Sunt quoque.*

§. X. Abbatibus quoque ut et Sacerdotibus Dispensandi facultas quodammodo conceditur *in c. Cùm ad Monasterium 6. X. de Stat. Monach.* excepto hoc puncto: ut in eodem Monasterio sint Monachi & Moniales. *c. Diffinimus. c. In nullo c. Monasteria. c. Perniciosam. XVIII. Q. 2.*

§. XI. Verùm cùm, per Transactionem Passaviensem & subsecutam Religionis Pacificationem, Pontificiorum JCtio Ecclesiastica in terris ac ditionibus Augustanæ Confessioni addictorum, planè sit suspensa, & Magistratibus Politicis restituta R. A. de ao. 1555. damit auch obberührte &c. adeoq; Statûs Imperii A. C. addicti JCtionem tàm Ecclesiasticam, quàm Secularem in

suis terris, vigore territorialis Superioritatis, Krafft habender Landes-Fürstl. Obrigkeit / decenter ac convenienter exerceant; Ideò etiam Dispensationem in Ecclesiasticis omni Jure usurpant. *vid. Knichen. de Sublim. & Reg. territor. Jur. C. 3.*

§. XII. Ipsa Pacificationis Relig. verba hùc maximè facientia adjicere non erit dividiæ, sic verò habent: Damit auch obberührte beide Religions Verwanten / so viel mehr in beständigen Frieden gegen und beyeinander seyn und bleiben mögen: So sol die Geistl. Jurisdiction wieder der Augspurgischen Confessions Religion / Glauben / Bestellung der Ministerien / Kirchengebräuche / Ordnungen und Cerimonien / so sie auffgerichtet / oder auffrichten möchten / biß zu endlicher Vergleichung der Religion / nicht exerciret / gebrauchet und geübet werden.

§. XIII. Eique fini Principes ac Magistratûs Evangelici sua habent Consistoria vel Officialias, quæ autoritate ipsorum, urgente necessitate, illis de rebus, quæ aliàs Episcopis vel Prælatis competebant, Dispensare possunt. Iis tamen exceptis, quæ sibi solis Principes reservant. *Magnif. Carpz. Jpr. Consist. lib. I. tit. I. Def. 11. & 12.* Quemadmodum etiam constituit Serenissimus Saxon. Elector D. Augustus in Kirchenordn. *sub tit.* von beiden *Consistoriis* zu Leipzig und Wittenberg *Ibi:* Wenn auch in Ehesachen bey den *Consistorien*, um *Dispensation* angesuchet würde / sollen sich die *Consistorial*en derselben nicht bemächtigen sondern solches iederzeit an Uns gelangen lassen / nnd Unsern fernern Bescheid darauff erwarten.

§. XIV. Unde in Consistoriis, quando in Gradibus Jure Humano prohibitis Sententia petitur, ita pronunciari consuevit: Daß Euch / vermöge der Landüblichen Rechten / einander zu Ehelichen nicht nachgelassen. Es ist aber der hohen Obrigkeit hierüber / weil die Ehe in solchen Grad in Heil. Götl. Schrifft ausdrucklich nicht verboten / zu dispensiren unbenommen.

CAPUT

CAPUT IV.

OBIECTUM sive Res, circa quas dispensatio fieri potest, vel non, complectens.

§. I.



Visis Personis, quibus dispensandi Jus competit atque potestas, Objectum nunc, circa quod illa versatur, contemplandum se offert.

§. II. Hoc autem ex Definitione *sup. c. 2.* traditâ haut obscurum est. Verba ibidem hæc sunt: *Juris positivi* &c. Objectum igitur Dispensationis est *Jus Humanum;* Nam contra Divinum Magistratus ne quidem Summus dispensare valet. Quia hic Legum Divinarum non Dominus sed minister est, adeoque Majestate Divinâ inferior. Inferior autem non potest derogare Legi Superioris. *c. cum inferior 16. X. de Major. & Obed. c. Literas. 13. X. de Restit. Spol.*

§. II. Hinc frustrà adscribitur Papæ facultas Dispensandi contra Jus Divinum, à *Prosper. Farin. de Inquis. Q. 6.* Pertinet enim ad eorum Paradoxa, quibus Divinum honorem ei tribuere non verentur.. Quòd scil sit præter, supra & contra Jus, omniaque possit, ut DEUS, excepto peccato, nec puri hominis, sed veri DEI vices hisce in terris gerat, neque Superiorem recognoscat, sed omnes sibi subjectos habeat. Ita quidem, ut si innumerabiles populos catervatim primo mancipio ad Gehennam secum traheret, nemini mortalium liceret eum redarguere & dicere: Domine Papa quid facis? Ut ita Pontificum Gratia plus valuerit apud multos, quàm ratio & Pietas. ajente *Bodino de Republ. Lib. I. c. ult.*

§. IV. Cùm autem Juris illius Dispensatio potissimùm frequentetur in Matrimonialibus & Criminalibus. Ideò in quantum Dispensatio in illis concedi queat, ordine videbimus.

MEMBR. I. de MATRIMONIALIBUS.

§. V. Illa quod attinet, consideranda veniunt vel Matrimoni-

monium ipsum, vel ipsius Adjuncta, utpote Tempus, Locus, Cerimoniæ & Ritus.

§. VI. Matrimonium ipsum prohibitum est vel Jure Divino & Humano simul: Et tunc nulla fieri potest Dispensatio, ne quidem à Summo Magistratu *arg. §. pen. Inst. de J. N. G. & C. l. Si Senatori 31. ff. de R. N. l. ult. C. de Incest. & inut. Nupt. tot. tit. C. Si Nupt. ex Rescript. pet.*

§. VII. Adeoque dispensari nequit I. In Lineâ rectâ Consanguinitatis, nimirum inter Ascendentes & Descendentes in infinitum *Levit. XIIX. 7. & 10. §. 1. Inst. de Nupt. L. Nuptiæ 53. l. fin. ff. de R. N. L. Nemini 17. C. de Nupt. c. De Consanguinitate. XXXV. Q. 2. ubi dicitur: quousque parentela cognosci possit i. e. in infinitum Johann. Andr. in declarat. Arb. consang.* LandR. *lib. 1. art 3.* Hinc rectè vulgatum illud circumfertur: Adamo protoplasto, si hodiè resurgeret vel etiamnum viveret, mortuâ Evâ, uxorem ducere non licitum esse; quia omnes, quotquot vitalem haurimus auram, ex eo ceu communi parente nati sumus. *Gl. ad §. 1. Inst. de Nupt. verb. Infinitum. Harppr. Comment. Inst. ad d. §. & Gl. ord. ad Art. 3.* LandR. *lib. 1. vers:* Also/ daß ob auch Adam noch lebete/ könte und dörffte er kein Weib nehmen.

§. VIII. Idem observandum in Affinitate; *Lev. XIIX. 8. XX II. Deut. XXVII. 20. I. Cor. 5. §. affines. 6. & seq. Inst. de Nupt. L. Si qua. 12. §. 1. L. Aristo. 4. L. uxorem. 15. ff. de R. N. L. Non facile 4. § 6. ff. de Grad. & Affin. c. Quædam lex. XXXV. Q. 3.* Sed, ut ne in Secundo ejusdem Genere in Lineâ rectâ, ulla Dispensatio admittatur: v. g. Si Privignus vitrici sui uxorem ducere velit, id per Dispensationem impetrare non possit, uti putat Bechstad *in collat. Jur. Connub. P. 11. c. 6,* plus justo extensum est.

§. IX. Ne itaque respectus paternus & prohibitio nimium quantum extendatur; In Secundo affinitatis Genere Dispensationem fieri posse existimo cum *Joach. à Beust. de Sponsal. & Matr. P. II. c. 53.*

§. X. Quam sententiam confirmat Consilium celeberrimi Theol. Collegii in Illust. hâc Jenensi apud *Dedeken. Vol. III. Consil. Theol. Lib. III. sect. 6.* Ob einer seiner verstorbenen Mutter/ Stieffvaters hinterlassene Wittib freyen möge. In verb. ibid. Daß dem

demnach einiges Verbot in Gottes Worte außgedruckt/uns nicht bewust/ dadurch dergleichen verschwägerte Personen/ sich miteinander zuverehelichen abgestricket werde/ wir zwar der Meynung sind / wofern das Ehe-gelöbnüs und Auffbietung/nicht aus sonderbarer Gefährung und in *præjudicium Magistratûs* beschehen / daß die hohe Obrigkeit hierinn zu *dispensiren* befugt.

§. XI. II. Dispensatio fieri nequit in Lineâ Collaterali Æquali in primo Gradu, nimirum inter Fratres & Sorores, sive fiat ex uno, sive ex utroque latere conjuncti. *Levit. XIIX. 9. XX. 17. Deut. XXVII. 22. §. Inter eas 2. Inst. de Nupt. L. Libertinus. 8. L. adoptivus. 14. §. serviles 2. L. Et nihil. 54. ff. de R. N. L. si stipulor. 35. §. Item quod. ff. de V. O. L. Nemini. 17. C. de Nupt. L. fin. C. de Incest. nupt. c. Igitur. XXXV. Q. I.*

§. XII. III. In Lineâ Collaterali Inæquali in Secundo Gradu & subsequentibus, si ratio Parentum & liberorum subsit. *Levit. XIIX. 12. 13. XX. 19. §. Inter eas. 3. §. Item amitam 5. Inst. de Nupt. L. Etiamsi 56. ff. de R. N. L. Si adulterium 38. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adult. d. l. Nemini 17. C. de Nupt. d. l. fin: C. de incest. nupt.* Hinc à Consistoriis ita pronunciari solet: **Daß Einer seines Vaters Schwester / weil solcher ander Grad ungleicher Linien der Blutfreundschafft in Heil. Göttl. Schrifft ausdrücklich verbotten/ zur Ehe nicht nehmen kan/ es mag auch solche Ehe von der hohen Obrigkeit nicht gestattet/noch hierinn/ wider Gottes Verbot/dispensiret werden.** Malè igitur fecit Rex Siciliæ Ferdinandus, qui ex Dispensatione Papæ, Patris sui Sororem Johannam matrimonio sibi junxit.

§. XIII. Eadem quoque obtinent in Lineâ Collaterali Æquali & Inæquali, In primo & Secundo Gradu affinitatis. *Levit. XIIX. 16. XX. 21. Matth. XIV. 4. Marc. VI. 18. Luc. III. 19.* **Daß die Ehe zwischen Einen/ und seines verstorbnen Weibes Schwester It. zwischen Eine/ und ihres verstorbenen Manns Bruder. It. zwischen Einen/und seines Vaters oder Mutter Bruders Wittib. It. Zwischen seines Bruders oder Schwester Sohns Wittib It. Zwischen Einen/und seines**

verstor-

verſt o:benen Weibes Vater oder Mutter Schweſter vel der-ſelben Bruders oder Schweſter Tochter nicht zugelaſſen/ noch hierinn diſpenſiret werden mag.

§. XIV. E. malè diſpenſavit Venerabilis ſcil. Pater Papa in Rege Poloniæ moderno Johann-Caſimiro, qui ſui Fratris defuncti Uladislai viduam ſibi matrimonio copulavit d. 10. May. 1649. Item in Rege Angliæ Henrico VIII. Qui Artori Fratris uxorem in matrimonium duxit.

[illegible] ao 1682 nobilis de [illegible] nact[a] ē dispensationem a Sereniss. Electore Brandenb. [illegible] in matrimonium duceret uxorem fratris sui.

§. XV. Sed Perſonæ excipiuntur deſponſatæ, E. g. Si quis ſui Fratris defuncti Sponſam ducere velit, tunc Diſpenſatio fieri poteſt Prout Conſiſtorialibus Evangelicis complacuit, atteſtante *Magnif. Carpz. Jprud. Conſiſt. Lib. II. tit. 7. Def. 121.* Quia non nudis ſponſalibus contrahitur Affinitas, niſi ſecutum ſit matrimonium. *§. Si uxor. 9. Inſt. de Nupt.* Ibi: *nec Sponſam filii Nurum eſſe.* Sic poteſt quis Sponſæ ſuæ defunctæ matrem ejusve Filiam, ex Diſpenſatione, in uxorem ducere. *Magnif. Carpz. d. lib. II. Tit. 7. Def. 122.* Quo tamen caſu, *dicit*, conſultum videtur, pro ratione Circumſtantiarum Perſonæ Diſpenſationem petenti juramentum injungere, quo à præſumtione commixtionis carnalis cum defunctâ Sponsâ ſe purget priùs, quàm Diſpenſatio fiat.

[illegible]uid et factū cum nobili [illegible] de [illegible] [illegible] sororem [illegible] suae defunctae in uxorem duceret.

§. XVI. Nec obſtant, S. Scripturæ loca *Deut. XXII. 24. It. Matth. I. 19.* Ubi Sponſus pro marito & Sponſa pro uxore reputantur. R. enim, id intuitu matrimonii mox conſummandi fieri. Nec enim deſponſatæ perſonæ ſunt verè Conjuges, Vir & Uxor, nec Sponſalia (ſolo indiſſolubilitatis Caſu excepto) pro vero habentur Matrimonio ſcil. perfecto & conſummato. Cui aſſertioni adſtipulatur *Beda*: Moſes, *inquiens*, Sponſam dixit Uxorem, non quæ tunc erat, ſed quæ futura erat uxor. Tantùm abeſt, expreſſam Juris divini prohibitionem diſpenſationi Magiſtratûs hoc caſu obſtare, ut nec per veram conſequentiam inducere eam liceat.

§. XVII. Vel Matrimonium prohibitum eſt, Jure Humano ſive Poſitivo tantùm (quò ſcil. Interdicta Divina majore reverentiâ ac curâ obſerventur) Et tunc extra dubitationis aleam poſitum eſt, quin Magiſtratus Superior in illo diſpenſare queat. Quicquid n. Magiſtratus autoritate publicâ & propriâ conſtituit, illud ex rationabili urgenteque causâ mutare vel abrogare etiam

po-

poteſt. Et cujus eſt Legem & Jus poſitivum condere, penes illum quoque eſſe debet relaxare, deque eo diſpenſare. *L. ult. C. de LL.*

§. XIIX. Unde in Matrimonio, quod in Secundo Gradu Lineæ Collateralis Æqualis tàm ratione Cognationis, quàm Affinitatis, Jure Divino & Civili licitè contrahitur, Poſitivo autem prohibetur, Diſpenſatio omninò procedit.

§. XIX. E. g. Patrueles i. e. duorum Fratrum Filii Filiæve, Amitini Amitinæve i. e. Fratris & Sororis; Conſobrini Conſobrinæve, i. e. duarũ Sororum Liberi legitimè conjungi poſſunt. *Geneſ. XXVIII. 29. Exod. II. 2. IX. 20. Num. XXXVI. Joſ. XV. 17. Judic. I. 13. §. Duorum 4. Inſt. de Nupt. L. Si nepotem 3. ff. de R. N. L. Non ſolùm 67. §. 1. eod. L. uter. 23. junctâ L. 24. ff. de Condit. Inſtit. L. Lucius. 78. §. 8. ff. ad SCtm Trebell.* Sic quoque aliquis ſui defuncti Patruelis vel Conſobrini viduam in uxorem ducere poteſt.

§. XX. Quia tamen ejusmodi Nuptiæ in terris Evangelicorum utplurimùm prohibitæ ſunt, ideò absque Diſpenſatione contrahi non poſſunt. *Magnif. Carpz. Ipr. Conſiſt. Lib. II. t. 7. Def. 110 & 113.* Vid. Churf. Sächſ. *Mandat:* Daß in Seiner Churfl. Durchl. Landen/ſich Niemand im andern *Grad* gleicher/und im dritten *Grad* ungleicher Linien/ohne **ſonderlichen Verlaubnus**/ verloben ſoll. Et ita etiam in reliquis Gradibus lege poſitivâ prohibitis quò ſunt remotiores, eò faciliùs locus Diſpenſationi datur.

§. XXI. Sed de Matrimonio ipſo plus forſitan ſatis; Jam ad ejusdem Adjuncta, & quâ ratione circa ea quoque diſpenſetur, animum intendam.

§. XXII. I. Adjunctum eſt Tempus, quo celebrari Nuptias non eſt integrum. Quale obſervatur tempus Adventùs & Paſſionis Quadrageſimale DOMINI. Cujus inſtitutio ut antiquisſima, ita ſanè ſaluberrima eſt, eum in finem, ut Chriſtiani jejuniis, precibus, aliisque piis meditationibus intenti, ad inſtans Feſtum piè celebrandum ſe aptiores redderent. *Marc. Anton. de Dominis ArchiEpiſc. Spalat. de Rep. Eccl. Lib. V. c. 7. Summ. 29.* Intra quæ tẽpora Nuptias celebrare ac Convivia inſtituere prohibitum eſt. *c. Non oportet. c. Nec uxorem. XXXIII Q. 4 c. Capellanus. 4. X. de Fer.*

§. XXIII. Tempus item Luctùs cùm publici tùm privati. Hinc vidua infamiæ pœnam incurrebat, ſi intra annum nuberet

C *l. 1 ff.*

L. 1. ff. de his qui not. inf. L. 1. C. de secund. Nupt. nisi à Principe, ut nubere liceat, impetret. *L. Solet. 10. ff. de his qui not. inf.*

§. XXIV. Sic cæteri dies festi ac Sabbathi; quibus ne Nuptiæ celebrentur, constitutum est, uti B. Lutherus Wittebergæ observari voluit. Quò etiam respexerunt Impp. Leo & Anthemius *in l. ult. C. de Fer:* Dies festos, *sancientes*, Majestati Altissimæ dedicatos, nullis volumus, voluptatibus occupari &c.

§. XXV. Ex Speciali tamen Magistratûs Superioris Dispensatione, rationabili scil. id suadente causâ, permitti potest, ut Nuptiæ iis temporibus celebrentur. uti *Magnif. Carpz.* Rescriptis idipsum confirmat. *d. lib. II. Tit. 7. Def. 152.*

§. XXVI. Quemadmodum etiam Proclamationes ex Suggestu die Ehelichen Aufgebote von der Cantzel/ex parte, vel in totum remitti possunt per Dispensationem. *Magnif. Carpz. d. Lib. Def. 139. 140. 141.*

§. XXVII. Sic quoad Dies Sacros ita potest dispensari, ut Ἱερολογία Sacerdotalis tempore fiat matutino, Convivium verò Vesperi instituatur. Damit/ uti in Churf. Sächß. Kirchen- und Ehe-Ordn. sanctissimè cautum est, der Sabbath geheiliget/ und die Zuhörer vom Gehör Göttl. Wortes nicht abgezogen werden.

§. XXIIX. Sed pergo ad Locum, ubi Nupturientes Copulari debent, & quâ ratione Dispensatio de eo obtineat: Locus verò ille ordinarius Templum est, in quo coram facie totius Ecclesiæ, novi Conjuges ut copulentur, Jura volunt. *c. Aliter. XXX. Q. 5.* Ne si intra privatos parietes Sacerdotalis Copulatio peragatur, fraus ab alterutrâ Parte committatur, aut ejus ulla præsumtio inducatur, *c. Quod latenter 5. X. de R. J. arg. l. Non existimo. 54. ff. de Admin. & Per. Tut. L. pen. C. de Resc. vend.*

§. XXIX. Attamen ex providâ Dispensatione concedi potest, ut ejusmodi Copulatio ædibus in privatis peragatur, cùm & alia Sacra, ex legitimâ causâ, domi tractare fas sit.

§. XXX. Ut & in Casu Necessitatis, quæ exlex est, *L. 1. de Off. Proc. L. Si alius 7. §. Bellissimè 3. ff. Quod vi aut clam. c. Remissionem I. Q. I. c. Ad limina. XXX. Q. I.* etiam absque impetratâ Dispensatione Copulatio Nupturientium fieri potest.

§. XXXI.

§. XXXI. Non minùs quoque in Personâ Copulante dispensari potest, ut Parochus vel Pastor Districtûs alterius ad Copulandum admittatur. Cùm aliàs regulariter id non concedatur, quia Ministri Ecclesiæ extra suam Diæcesin Actûs Ministeriales exercere prohibentur. Sub hâc autem conditione id fiat, ut quamvis alius Copulationem vel alium Actum perficiat, Honorarium tamen Ordinario loci Pastori exsolvatur. Id enim Magistratus observet, ne, per Dispensationem, damnum faciant suorum Redituum Ministri Ecclesiæ, sed illos magis augeri quàm minui studeat, neque Dignitas Ecclesiastica ob paupertatem vilescat *arg. Clement. in plerisq. de Elect. & Elect. Pot.*

§. XXXII. Succedunt Cerimoniæ ac Ritûs circa Nuptiales Festivitates observandi, quos inter postremo loco haut ponenda est Musica Instrumentalis, tàm in Templo, quàm per Plateas & inter Convivas adhibenda. Siquidem ea Religiosum reddit paratiorem ad DEUM laudandum; Hilares facit hilariores; Et qui efficaces ejus Effectûs sint plures vid. ap. *Chassan. de Gl. M. P. X. Consid. 57.* De quâ tamen tempore Luctûs publici altum silentium, nisi ex Singulari Dispensatione Magistratûs impetretur, Id quod non Cuivis contingit.

§. XXXIII. Ad Ritûs quoque refertur, quòd quibusdam in Locis Certi Ciborum Missûs, nec ultra eos, in Conviviis Nuptialibus sunt apponendi. Item determinatus Mensarum numerus observandus. De quibus & aliis, quippe quæ adeò magni non sunt momenti, quin facilè, etiam ab Inferiori Magistratu, qui de ejusmodi Ritibus forsan Statuit, dispensari queat, nullum est dubium.

MEMBR. II. de CRIMINALIBUS.

§. XXXIV. Tantum de Dispensationis Jure in re Matrimoniali; Restat ut de Altero hujus Cap. Membro nempe de Criminalibus quoque paucis agamus.

§. XXXV. Voluntas & Propositum distinguunt maleficia *l. Qui injuria 53. ff. de Furt. §. Placuit 7. Inst. de Obl. quæ ex del. nasc.* est Axioma in Principiis Humanarum Actionum fundatum. Quia ex necessitate peccans, non eâ potest affici pœnâ, quâ afficitur

is, qui citra necessitatem delinquit. Et qui ex Ignorantiâ Crimen commisit, non ita potest puniri ac is qui sciens id perpetravit.

XXXVI. Quod utique in Dispensatione circa Delicta, sive sint Lege Divinâ sive Humanâ punienda, probè attendendum est.

§. XXXVII. Adeoque Magistratus simpliciter & citra urgentes rationes non modò pœnas planè non remittat, sed ne quidem mitiget sive in leviores mutet. Homini siquidem scelesto, & ex προαιρέσει turpiter peccanti ignoscere, eique gratiam facere, Principi est inexcusabile. *Deut. XIII. 8. XVII. 12. XIX. 19. I. Sam. XV. 22. 25. 3. Reg. XX. Magnif. Carpzov. Pr. Cr. Q. CL. n. 69.* Quâ de re *Domin. Soto Lib. IV. Q. 5. art. 4. de J. & J.* Pœnæ remissio, *inquit*, non nisi ex causâ à Principe facienda est, ut, si is, qui delinquit, casu & fortuito ac ex humanâ quâdam fragilitate deliquisset; non autem si is vir scelestus & nefarius esset, & talis, qui ex professo delinquere consuevit; Nam huic pœnam remittere impium esset, quoniam eo modo maleficis favere Princeps videretur, atque ita Rempubl. læderet, eique injuriam inferret.

§. XXXVIII. Quapropter Privilegium illud Cardinalium, quo sibi obviantes maleficos supremo jam supplicio afficiendos, impositione pilei, liberant, nequaquam approbandum. Est enim contra *L. addictos 6. C. de Episcop. Aud.* ubi *Baldus* ita notat: *Ne temerè vel vi flagitiosi supplicio eripiantur.* Ejusdem quoque census & illud Vestalium virginum olim Romæ fuisse puto, quo itidem per fortuitum occursum, Delinquentes à pœnâ mortis expediebantur. Et qui sunt Modi ejusmodi alii, quibus non ex verâ justâque causâ, sed irrationabili Consuetudine, & pro lubitu saltem, facinorosi homines à pœnis redduntur immunes.

§. XXXIX. Quos inter hic quoque recensendus, qui in Hispaniâ & Galliâ olim frequentioris fuit usûs, ceu tradit *Paris de Puteo in Tr. de Syndicatu. & Jul. Clar. in Pr. Cr. §. fin. Q. 98.* Quo puella à malefico, si ei adhuc cœlibi nubere velit, suâ Intercessione, vitæ veniam à Principe impetrare potest. Ad quem *Limnaeus de J. P. Lib. IV. c. 8.* pulchrè commentatur, Si Puellæ, *inquiens*, ut maritum nanciscatur, hoc juris tribuimus, ne concordans

cordans fortè solvatur Matrimonium? ne quos DEUS conjunxit, homo separet? Vana hæc omnia, & pœnas nequicquam tollere apta. Causa enim est insufficiens. Etsi quidem magnus sit Matrimonii favor; tantus tamen esse non debet, qui nervos Reipubl. incidat, Justitiam violet, & Disciplinam publicam temerè & citra necessitatem labefactet.

§. XL. Quare firmiter concludo: Quòd Princeps vel Magistratus superior in nullo Delicto, quocunque etiam veniat nomine, tàm quoad plenam pœnæ remissionem, quàm ipsius saltem mitigationem, dispensare valeat, nisi urgentissima id suadeat causa, quæ tamen sedulo ac maturo judicio est ventilanda.

XLI. Allubescit itaque præcipuas aliquot Causas hic apponere, quæ tùm ad pœnarum Remissionem, tùm earundem Mitigationem impellere possunt. Inter illas autem primum meritò occupat locum Salus Publica, tanquam Lex Suprema. *Nov. VII. C. 9. §. 1.* cùm facillimè in eo Summi Numinis speretur venia, per quod multorum Salus & Incolumitas procuratur: ut *Impp. Arcadius & Honor. Vincentio P.P. Gall.* prudentissimè rescripserunt. *L. In Criminali. 10. de Fer.* Uti speciale ejus habetur Exemplum in Flavio Scribâ, qui ob furtũ Libri, quem Appio surreptum tradidit Populo, non modò non punitus, sed potiùs Tribunus plebis factus, & Senator, & Ædilis Currilis. *L. 2. §. Postea 7. ff. de O. J.* Eandemq; ob causam Athenienses Tyrannicidis non tantùm remiserunt pœnas, sed eos egregiis quoque decorarunt honoribus.

§. XLII. Altera causa sit Factum absolutè coactum, quod quis citra animi deliberatum consilium, non nocendi sed defendendi gratiâ facere cogitur. Fingo Casum: Mæviæ stuprum inferre conatur Pomponius; Illa, cùm sola sit, & neminem præstò videat, quem in auxilium vocare queat, ne tamen pudicitiæ jacturam faciat, cultro interfecit invasorem. Q. An Mævia propter ea possit puniri? ℞. Negando. Quia dolo caret, & quod fecit, coactè fecit ob defensionem suæ Castitatis. Nam vim vi defendere omnes Leges, omniaque Jura permittunt. *L. Scientiam. 45. §. Qui cùm. 4 ff. Ad L. Aquil. c. Si furiosus. un. Clement. de Homic.* Et de-

fensor propriæ Salutis in nullo peccasse videtur. *L. 3. C. ad L. Cornel. de Sic.*

§. XLIII. III. est Mandatum Domini Superioris, Si quis fortè Principis jussu aliquem interemerit. Quod tamen distinctione opus habet: Aut enim is, qui malefacere jubetur, nequit discernere, quòd non in omnibus Domino parendum sit, sed putet omninò justum ac licitum esse, quicquid Dominus imperet; & tunc dispensari potest; Aut illa distinguere novit, & tunc aliter pronunciandum, juxta sententiam scil. *Ulpiani in L. Sed si. 17. §. Si jussu 7. ff. de Injur.* Servus, *nolentis*, in omnia Domino pareat.

§. XLIV. IV. Ætas, eaque vel Infantilis, quæ Infantes à pœnâ eximit *L. Infans. 12. ff. ad L. Corn. de Sic.* quia doli non sunt capaces. *L. Impuberem. 23. ff. de Furt.* Ubi autem non est dolus, ibi nec pœna delicti locum habet *Magnif. Carpz. Pr. Cr. Q. CXLIII.* Vel Senilis seu valdè ingravescens *L. Si quis gravi 3. §. Ignoscitur 7. ff. ad SCtum Silan. l. Div. Hadr. 2. ff. de Term. mot.* ob quam Senes intellectu deficere incipiunt, quia tales ex mentis alienatione potiùs, quàm dolo delinquere videntur. *Magnif. Carpzov. Pr. Cr. Q. CXLIV.*

§. XLV. V. Amoris vehementia. Amor enim & Libido vehemens æquiparantur Furori *c. cùm in juventute 15. X. de Præsumt.* Quod igitur quis ex amoris vehementiâ, dum sui non est compos, facit, illud meretur vel Remissionem, vel, pro Circumstantiarum variatione, pœnarum Mitigationem.

§. XLVI. VI. Fatuitas sive extrema mentis Simplicitas, quæ non differt ab Infantiâ, quippe quæ, quid agat, ignorat. *L. 1. C. de Falſ. monet.* Et sicut infantem innocentia Consilii tuetur: Ita Fatuum Fati Inclementia excusat. *l. Infans 12. ff. ad L. Corn. de Sic.*

§. XLVII. VII. Est Furor sive Insania. Quia in furore delinquens non est subjiciendus pœnæ. *l. fin. in fin. ff. de Admin. & Per. Tut. L. Infans. 12. ff. ad L. Corn. de Sic. L. pœna 9. §. 2. de L. Pomp. de Parr. c. Aliquis. XV. Q. 1. c. un. Clement. de Homic.* Voluntate enim destituitur *L. Qui servum. 47. ff. de A. vel O. H. L. Furiosi 40. ff. de R. J.* Quæ tamen maleficia distinguit *d. l. 53. ff. de Furt. l. Div. Hadr. 14 ff. ad L. Corn. de Sic.* Ipseque Furiosus Furore suo satis punitur. *L. Div. Marcus 14. ff. de Off. Præs.* Ut ita eum Fati

Incle-

Inclementia excuset. *d. l. 12 ff. ad L. Corn. de Sic.* in tantum, ut videatur potiùs pati, quàm facere injuriam. *L. Illud 3. §. 1. ff. de Injuriis. c. Illud relatum. XV. Q. I.* adeoque miseratione dignus fit. *l. un. C. Si quis Imp. maled. c. Judicas. III. Q. 9. Magnif. Carpz. Pr. Cr. Q. CXLV.*

§. XLVIII. VIII. Est Somnus, vitium illud, à quo Somnambuli, Somnisurgi vel Noctambuli vocātur. Tali vitio corruptus si quendā noctu interficiat, puniri nequit. *c. un. Clem. de Homil.*

§. XLIX. IX. est Amicitia, ob quam quis pro Amico probo delinquens mitiùs punitur. *Tiraquell. de Pœn. temp. & rem. Caus. 22.* Quod olim approbarunt Sapientes illi apud Agell. Noct. Att. vigilātissimum Scriptorem *Lib. I. c. 3.* Ubi de Chilone Lacædemonio refertur, quòd pro Amici Salute falsum dederit Consilium. X. Culpa sine dolo: Si quis à dolo, quo sine nullum potest committi delictum, se purget. *arg. L. in Lege 7. ff. ad L. Corn. de Sic.* Nec obstat, quòd lata Culpa æquiparetur dolo *L. I. ff. Si Mens. falss. mod. dix.* ✱ enim. In delictis majoribus, ob quæ corporis pœna reo venit infligenda, dolo neutiquam æquiparatur. *l. cùm autem 23. §. 2 ff. de Ædil. Ed. d. l. 7. ff. ad L. Corn. de Sic.* Nisi quis in re illicitâ occupatus delictum ejusmodi nimiâ culpâ committat. XI. Conatus non subsecuto Effectu *L. ff. de Extraord. Crim.* Quod non semper procedit, siquidem Casûs dantur, quibus Conatus æquè ac delictum perpetratum punitur.

§. L. XII. Est nimia Ebrietas *l. omne 6. §. 7. ff. de Remil. c. Sanè XV. Q. I.* Quia Ebrius velut mente captus, non tàm ex Industriâ, quàm Occasione Ebrietatis delinquit. Aliud dicendum de Ebrietate modicâ, quâ quis judicii ac decori in agendo non obliviscitur. *Reinking. de R. S. & E. Lib. II. CL. I. C. 8. n. 33. p. m. 380.* XIII. Ignorantia non affectata *l. 1. ff. & C. ad L. Corn. de Sic.* modò quoad Jus ipsum non sit Ignorantia Juris Divini, Naturalis, & Civilis notorii. Hoc enim quemque nosse convenit, nec sine præsumto dolo id ignorare potest *Tiraquell. de pœn. temper. & remitt. Caus. II.* XIV. Imprudentia, cum quis præter intentionem & deliberatum animi Consilium delinquit. *Luc. de Pennâ ad L. I. C. de Colon. Illyr.* XV. Ira, ex justâ causâ proveniens *L. 2. C. de Abolit. c. Si quis iratus II. Q.*

3. c.

3. c. *Ira XI. Q. 3.* E. g. Si quis ab aliquo provocatus vel aliàs offeusus ad iracundiam irritetur, & offendentem occidat à pœnâ ordinariâ liberari, leviorique affici potest. *Prosper. Farin. Pr. Cr. P. III. Q. 91.*

§. LI. XVI. est Meritum & Singularis virtus, quâ aliàs præcelluit Delinquens; quòd nimirùm benè meritus sit de Patriâ, dum eam ab hostibus liberavit &c. Quòd ostenderit Modum ac Medium augendi Bonum Publicum &c. vid. *Zobel. P. IV. Differ. 2.* XVII. Nobilitas & Dignitas *l. fin. ff. de Incend. & ruin. L. Sacrilegi. 9. ff. ad L. Jul. Pecul. Nov. XXIV. c. 2. c. Qui contra XXIV. Q. I. c. fin. X. de Pœn.* XVIII. Probitas vitæ anteactæ. *l. 3. §. 12. ff. de Re Mil. L. Non omnes 5. pr. ff. eod. c. cùm in juventute 16. X. de Præsumt.* XIX. Artificium insigne. *L. Ad bestias 31. ff. de Pœn.*

§. LII. XX. est Multitudo Liberorum *l. Cùm ratio. 7. §. Si plures 3. ff. de Bon. damn.* Ubi Hadrianus Imperator in hæc rescripsit verba: *Favorabilem apud me causam liberorum numerus facit.* XXI. Necessitas *c. Quanto 4. X. de Consuetud. c. consilium 2. X. de Observ. jejun. c. Sicut 11. de Consecrat. Dist. I.* XXII. Rusticitas, quatenus excludit dolum. *l. 2. §. 1. ff. Si quis in Jus vocat.* XXIII. Sexus *l. si adulterium 38. §. 4. & 7. ff. ad L. Jul. Pecul. l. Quisquis 5. §. 3. C. ad L. Jul. Maj. c. Sicut. 6. X. de Homic. c. Indignantur. XXXII. Q. 6.*

§. LIII. Hæ & aliæ, quæ fortè plures dari possunt, Causæ ad amussim perpendantur, quàm Dispensatio concedatur.

§. LIV. Quibus denique hanc placet annectere Quæstionem: An Delinquenti & ad mortem damnato pœna supplicii remitti possit hâc Conditione; Si velit se demittere in Cryptam, Foveam, vel alium locum, in quem, propter vitæ periculum, nemo adhuc descendere ausus est, cujus tamen exploratio, & rerum ibidem abstrusarum cognitio ut habeatur, multum intersit? ℞ Primâ quidem fronte videtur dicendum Quòd non. Quia Magistratus à pœnâ, quâ reus afficiendus est, haut facilè recedere debet; cùm per ejusmodi dimissionem, si maleficus è loco illo periculoso vivus redeat, delictum maneret impunitum, contra

tra

rra *L. Ita vulneratus 51. ff. ad L. Aquil.* Verùm, si expediat, isthæc loca esse cognita, nemo autem mercede conductus illuc descendere voluerit, rectè omninò talis Dispensatio locum habet. Ad rationem dubitandi verò ℞. Quòd Delinquens per descensum illum duriore mortis genere, veluti venenatis Basiliscorum halitibus, Viperarum & Serpentum morsibus, vel aliis miseris Modis possit perire, ac Sententia judicis decrevisset. Sin verò periculum vitæ effugiat, id Divinæ Providentiæ ac fortunæ ferat acceptum.

CAP. V.

Dispensationis FORMAM exhibens,

§. I.

REcto nunc pede ad Dispensationis Formam progredior. Forma enim est, per quam Res in suo Esse constituitur, & ab aliis Rebus distinguitur. Videndum igitur, in quonam formalis ratio Dispensationis consistat.

§. II. Consistit autem in Gratiosâ Liberatione à Juris vinculo, justâ ac rationabili Interveniente Causâ.

§. III. Quapropter Magistratus Superior nunquam proclivis sit ad Dispensationem impertiendam, nisi rationes ejusdem habeat prægnantes. Præsertim verò in Capitalibus, ne ad maleficia temerè quisquam prosiliat. *L. Si operis 14. C. de Pœn.* Cùm Impunitas Delicti tribuat Intentivum delinquendi. *c. Est injusta, XXIII. Q. 4.* Et nimia lenitas peccandi occasionem præbeat, imò libidinem effrenatæ juventutis accendat. *c. ut Clericorum 13. X. de Vit. & Honest. Cler.* Malitiosi enim homines veteris delicti impunitatem non tàm Emendationi, quàm Consuetudini deputare, ac dimissi gaudia lætitiamque contaminare solent. *L. Nemo 3. pr. & fin. C. de Episcop. Aud.*

§. IV. Indeque delicta post impunitatem commissa ab ipso Magistratu veniam dante commissa videntur, qui si primo perpetrato delicto, Capitali præsertim, legitimò justitiæ mucrone communis Securitatis Violatorem jugulasset; iteratò non deliquisset; Uti aliquando magni nominis Principi, qui reo homicidium com-

mittenti

mittenti, semel atque iterum indulserat, relatum refert Reinking. *d.R S. & E. Lib. II. Cl. I. c. 8. n. 69. p. m. 384.* Non enim facilè, *uti ex Symmacho Lib. X. Epist. 44. addit*, secundum desperat effugium, qui laqueum prioris criminis evasit.


§. V. Proinde Magistratus in Causam, ob quam dispensandum, exactè inquirat, nec Clementiæ Gloriam affectet, sed in desperatæ frugis homines cum Severitate animadvertat, ne cum lenitate Rempubl. corrumpat.

§. VI. Lubet hîc Quærere: An etiam Ille, qui ex Dispensatione, contra Jus Humanum aliquid acquisivit, aliquem Actum celebravit &c. sit in Conscientiâ tutus? Et ℞. Quòd sic. Si ex justâ ac rationabili Causâ Dispensatio fuerit impetrata. *arg. c. Non est. 5. X. de Vot. & Vot. red.*

CAP. VI.

Dispensationis FINEM proferens.

§. I.



NOn abs re erit, si Finem, qui in Dispensatione debet intendi, ostendemus: Cùm nulla Actio, nisi propter certum aliquem finem, qui intenditur, fiat: Et finis quoque sit, cujus gratiâ res aliqua suscipiatur.

§. II. Idcircò Dispensationis Finem statuo Æquitatem, & quæ exinde resultat, Publicam Salutem. Nulla enim potior dari potest ratio finalis, ob quam Dispensandi Jus exerceatur, quàm Æquitas, quam Magistratus in eodem concedendo, respicere debet. Ne scil. Parti Supplicanti ob causam urgentem fiat injuria.

§. III. Pono Casum: Titius benè de Republ. meritus perpetravit delictum, quod Leges morte puniri volunt. Q. An statim Supplicio subjiciendus sit? ℞. Nimis durum id foret, præprimis si delictum illud Lege positivâ tantùm Capitale esset. Quare Æquitas tali Casu postulat, Dispensatio ut concedatur.

§. IV. Concludo igitur & hoc quidem Ratiocinio: Quodcunque primariò in Actione aliquâ intenditur, Id ejus Actionis est Finis. Sed Æquitas in Dispensatione primariò intenditur. E. Æquitas

tas ejusdem est finis, Maj. è ratione Finis plus satis patet. Finis namque est, qui primariò intenditur, juxta tritum illud: *Finis est primum in Intentione.* Minor quoque clara est, quia Magistratus Æquitatem, ob rationem ex Circumstantiis Personarum, Rerum, Delictorum &c. collectam, respicere debet.

CAPUT VII. & ult.

EFFECTUM Dispensationis producens.

§. I.

DE Effectu Juris Dispensandi agendum quoq; est; Operatur autem Dispensatio I. Legitimationem Ejus, quod antè illicitum erat & contra Leges ac Canones. Ut Nuptiæ illæ, quæ aliàs, ex provisione Legum, illicitæ ac injustæ sunt, ita, ut nec Vir, nec Uxor, nec Matrimonium, nec Dos, nec Patria Potestas ex iis intelligatur. *L. Dotis appellatio. 3. ff de Jur. Dot. §. pen. Inst. de Nupt. L. Qui contra 4. & Auth. Incestas C. de Incest. & Inut. Nupt.* beneficio Dispensationis legitimantur, licitæque pronunciantur. Quia omnis turpitudinis macula tollitur, istæque Nuptiæ vim legitimi Matrimonii consequuntur. *arg. L. 1. C. Si Nupt. ex Rescr. pet.*

§. II. II. Beneficiorum acquisitionem, vel eorum restitutionem; in Ecclesiasticis: Ut quis ob vitium aliquod inhabilis ad Officium Ecclesiasticum, impetratâ Dispensatione, promoveatur; Vel ob peccatum ab officio vel certo aliquo Actu suspensus aut remotus, peractâ pœnitentiâ & obtentâ Dispensatione recipiatur ac restituatur. *c. Multi, Dist. 40. c. Illud Dist. 50. c. Audi. XI. Q. 3.*

§. III. III. Criminis Abolitionem, non modò ut id tantùm sit remissum, sed etiam, ut de eo ulteriùs accusari nequeat Delinquens *L. I. § 10. ff. de Postul. L. mulier. 3. §. 1. ff ad SCtm Turpill c. De his. 6. X. de Accus.* adeò quidem, ut contra exprobrantem, libidine calumniandi, sibi condonatum Crimen Injuriarū agere possit *L. 1. §. I. ff. de Injur.* Ubi *Ulpianus* dicit: *Verbis fieri injuriam, quoties convicium fit. L 3. C. de Offic. Rect. Provinc.*


§. IV. IV. Dispensationis Effectus se exserit in Restitutione Jurium prestinorum, ut Honoris, Officii, Famæ &c. Si id nominatim in Dispensationis Diplomate fuerit expressum. Nam si illud mentionem faciat saltem de Remissione pœnæ Corporalis, Dispensatio ad aliud non porrigitur. *L. Filii. 22. §. 4 ff. Ad Municip. L. fin. C. de Gener. Abol. arg. L. 2. & 7. C. de Sent. paß. & rest.*

§. V. Quòd si verò in Eodem expressum sit, ut quis restituatur Omnibus, tùm illa Restitutio non tantùm ad Remissionem pœnæ, sed etiam ad Honorem, Famam & Cætera Jura priora extenditur. *L. I. C. de sent. paß. & rest.*

§. VI. Et hujus Distinctionis ratio est, quòd Dispensationes stricti sunt Juris, adeoque ultra id, quod in iis expressè habetur, non sunt extendendæ. Inde si in illis mentio fit saltem Remissionis pœnæ, ultra eam nihil intelligitur; Ast si præter Remissionem illam, etiam exprimitur Restitutio ad Famam & reliqua omnia, vel quòd Restitutio Plenissima fuerit facta, tunc ea Omnia quoque talis Dispensatio operatur. *Salyces. ad L. fin. C. de Sent. paß. & rest.*

§. VII. Atque hæc, de Jure Dispensationis proposuisse, sufficiant. Plura quidem nobilissimum hoc Argumentum & accuratiora magis postularet. Sed ob temporis angustiam, quâ coarctabar, prolixiori hâc vice mihi esse non licebat.

Τῷ Θεῷ Δόξα.



COROLLARIA.

I.

Potestas, quæ concessa est Imperatori & Principibus, à DEO est Immediata; licèt Modi eam conferendi sint Humani.

II. *Vera ac justa Status Ratio Juri Civili, ac LLbus Positivis saltem derogare debet.*

III. *Quòd nocens quandoque absolvitur; Innocens condemne-*

demnetur, id non statim imperitè & inconsideratè ipsi Judici vel JCto, multò minus Jurisprudentiæ, sed Obscuritati Facti imputandum.

IV. *Etiam Infans in cunabulis adhuc jacens, si sui est Juris, rectè apud JCtos Paterfamiliâs appellatur.*

V. *Consuetudo, quâ vectigal à Studiosis exigitur, tollenda per Auth. Habita. C. Ne Pater pro Filio.*

VI. *Quando non in Specie sed in Genere aliquid venditur, tunc ante Traditionem Venditori res vendita perit. arg. l. 14. §. 1. ff. de Peric. & Commod. rei vend.*

VII. *Hereditatem etiam ex minùs Solenni Testamento deberi, si constat fraudem non intervenisse, rectissimè Doctores concludunt.*

IIX. *Pium est, defendere Testamentum, quod, prætextu alicujus omissæ Solennitatis, impugnatur.*

IX. Ἱερολογία *Sacerdotalis non est de Substantiâ Matrimonii.*

X. *Jus illud Consuetudinarium liberè Conditionatum, quo ambienti Parochiam vacantem pateat aditus, si defuncti Ecclesiæ Ministri Viduam vel Filiam duxerit uxorem: Summâ nititur Æquitate.*

XI. *Dispositio Juris Saxonici eatenus saltem valet, quatenus consuetudine & Observantiâ est recepta.*

XII. *Voluntas & Verba in Homicidio, Effectu non secuto, non attenduntur.* Landr. C. 3. Es geschicht an Willen/ noch an schlechten Worten keine Gewalt/ wenn keine That darnach folget.

XIII. *Stylus Curiæ & Mos Judiciorum habetur pro Lege & intactus servari debet.*

F I N I S.

Nobili atq; Clarissimo Viro

DN. TOBIÆ BORMANNO,

J.U. Doctorando meritissimo,

De DISPENSATIONIBUS

Publicè Disputanti.

FELICITER!

DUm, BORMANNE, TIBI sic Dispensatio Curæ est,
Hinc TIBI dispensat Præmia clara Dice.

Affectui, & quidem singulari testando

L. M. Q.

adjiciebam

JOH. ERNESTUS GERHARDUS,

SS. Theol. D. & P. P.

IN Cathedræ celso quando nunc ponte videris,
Quid Dispensandum, Quomodo sitque, docens;
Annuit, ecce! THEMIS, mox & TIBI digna reponit
Præmia, quæ quovis tempore ferre queas.

CLmo DN. Candidato

benivolâ manu menteq;

f.

CHRISTOPH. PHILIP. Richter/D.

Com. P.C. Prof. P. Fac. Jurid. Ordinarius,

& h.t. XV. DECANUS.

CUm Dispensandi *tractas Sublimia Jura*,
Præmia decernit digna THEMISTA Tibi.

Hoc Autoschediasmate

Clarissimo DN. Doctorando

mentem benevolam & gratantem exhibet

GEORGIUS ADAMUS Struve. D.

CLARISSIMO DN. DOCTORANDO

Amico Suo Per dilecto.

DIsquiris doctè, quid DISPENSATIO? Quare
Patria *dispenset* Munia clara TIBI.

ERNESTUS FRIDERICUS SCHRöTER, D.

NOBI-

NOBILI ATQVE CLARISSIMO

DN. TOBIÆ BORMANNO,

J. U. Doctorando Dignissimo,

Amico meo plurimùm dilecto, simulque maximopere honorando.

S. & O.



Vam nunc, BORMANNE Clarissime, bono auspicio expromis, Doctorumque judicio committis Dissertatio non obscurè ostendit, quàm arduam rem, adeoq; nec parvam, nec mediocrem efficias. Sicut enim Eorum Operam suspicimus, qui, ex vago diffusoq; Jure nostro Paratitla, quæ vocantur, composuêre, eâq; de causâ VVesenbecii Nomen in omnem memoriam Sanctum Sacratumq; futurum est. Haud dissimiliter & Te quoque ob laborem, quo nunc frui vis Literatos, de iis non parum mereri, incerto procul esse censeo. Nam Argumentum non magis usu frequens, quàm Subtile, quodque perplexi multum habere, nemo infietas iverit, tùm judiciosè, & Methodicè tractas, tùm haud secus ac Apis quædam Sedula flosculis ex omni jure selectis optimis exornas. Atque ad illud defendendum Te eò paratiorem venire, non sum nescius, quò egregio Ingenio, egregiâque juris Scientiâ valere Te, notius est. Quemadmodum itaque pro Digno habêre, Cui Soliti Honores conferantur: Ita & hos Tibi gratulor, DEUMque precor, ut ex iis plurimum Emolumenti, quin omnem Felicitatem accedere sinat, Teque illi, quam partim Meditando, partim Experiendo acquisîsti Tibi, Prudentiæ Juris in Clientum tuorum Commodum exercendæ diu superesse jubeat. Vale.

Dab, festin. calam. d. 21. Sept. 1665. Jenæ.

JOH. JACOBUS AVIANUS, J.U.D. & PP.

CLARISSIMO

TOBIÆ BORMANNO,

PRO LICENTIA

Summam adscendenti Cathedram,

FELICITER!

adclamat

GUERNERUS ROLFINCIUS Ph. Med. D. P.P.

BORMANNE, Eunomies Cûi sunt Oracula curæ,
Præstans Aonidum Soboles, nostræq; Salanæ
Splendidioris fons doctrinæ, Vir generosæ
indolis! Autores multi tibi ritè fuerunt,
propediem ut Summos Jenæ prensares honores.
Dignus es illis: Dignus quem rubicunda tiara
ornet, quem ritu Solenni Laurus inumbret.
Gratulor ex animo hæc tibi decernenda Βραβεῖα,
ambabus manibus plaudendo vovens, ut honores
fortunet DEUS Omnipotens, lætosque perennet.

GLoria Virtutis comes est, & digna labore
Præmia dat Dignis: Sic & AMICE Tibi:
De quibus ex animo grator, voveoque Saluti
Ut TIBI tum TUIS esse JEHOVA velit!

Ita
Nobilissimo atq; Clarissimo Dn. TOBIÆ Bormann/
J. U. Doctorando, Fautori & Amico suo
plurimùm colendo gratulari voluit

Johannes Henricus Segnitz/
J. U. Doctorandus.

DUm, BORMANNE, paras clarum defendere dogma,
Ingeniique probas Vires conamine justo:
Gratulor; hinc Laurum spectas, palmamque reportas.

Ita
Clarissimo DN. DOCTORANDO, Amico suo Honoratissimo, de arduis Studiorum Conatibus alacriter susceptis, feliciter exantlatis, Animo & calamo toto applaudeb.

Daniel Beyer Vratislaviensis.

WEr so/ Mein werther Freund/ durch nimmer müden Fleiß
Mit THEMIS sich vermähl't/ und ihrer Lieb pfleget/
Wie Er gethan: Dem wird/ wie billich/ beygeleget
Auch dero höchstes Guet/ zu seinem Ehren-Preiß.
Nun lasse über diß: Der Götter Huld gescheh'n/
Daß Kunst mit Gunst vermehrt/ Sein rühmliches Beginnen
Mit fernerm Glück erfreu: und die so Edle Sinnen
Nach Wuntsch vergnüg: So zieh't man recht vom Saal-Athen.

Mit welchen seine Schuldigkeit glückwünschend darstellet
Sigmund Maximilian Rald. v. W. a. O.



